

gislatoris esse, ut lex a se lata omnes obliget, quandiu illa utilis sit Communitati, quamvis ex accidenti alicui privato non sit utilis, modo non sit ei nociva. Ita sentiunt Suarez, Soto, Salmant. quamvis contraria sententia sit etiam probabilis, & a gravissimis TT. propugnatur.

APPENDIX I.

De dispensationibus S. Pœnitentiariæ.

95. Quoniam ex officio S. Pœnitentiariæ multæ dispensationes, (& gratis quidem) impetrari possunt, saltem pro foro conscientiæ, operæ pretium censui, quædam circa hujus rei proximæ pœnitentibus, & confessariis utilia hic subnectere.

Et quidem tria potissimum circa hanc rem inquiri possunt. 1. Circa materiam, & causam; in quibus nimirum casibus dispensationes istæ concedi soleant. 2. Circa formam litterarum Pœnitentiariæ, quibus dispensatio Confessario committitur, quarum verba nonnulla, quæ difficultatem pariunt, explicanda sunt. 3. circa ipsam executionem dispensationis; quæ nimirum in ea observanda sint.

96. R. 1. In triplici materia (pro cujus diversitate diversa quoque est forma) dispensationes istæ, seu gratiæ concedi solent.

Prima est in votis, v. g. ut votum Religionis ob inopiam parentum, vel fratrum, vel simili ex causa liceat differre: ut quis a simplici voto castitatis, vel etiam Religionis (postquam ma-

trimonium contraxit) absolvatur ad manendum in matrimonio, debitumque licite petendum: ut a voto Religionis ob debilitatem virium, aut ob metum incontinentiæ, aut dotis defectum, absolvatur in ordine ad contrahendum matrimonium.

Secunda in impedimentis occultis matrimonii, sive ea sint impedimenta tantum, sive etiam dirimentia; sive matrimonium cum iis publice contractum sit, sive contrahendum, dummodo de eo privatim fuerit actum, & conclusum, præsertim bona fide, sive etiam quando contracto superveniunt. Circa quæ notandum 1. impedimenta occulta dici, quæ vel nulli nota sunt, vel licet uni, alterive innotuerint, ad forum contentiosum non sunt deducta. 2. etsi aliqua impedimenta, v. g. cognationis spiritualis, natura sua sint publica, cum contrahantur in facie Ecclesiæ; fieri tamen ex accidenti potest, ut sint occulta v. g. 1. ob diuturnitatem temporis, ex quo sunt contracta. 2. ob distantiam loci a loco contractæ cognationis. 3. per mortem eorum, qui fuerunt consocii. 4. per ignorantiam hujus contractionis.

Tertia in variis censuris, ut excommunicationibus, suspensionibus (item in irregularitatibus) præsertim occultis, ad absolvendum ab iis, dispensandum, rehabilitandum, cet. Item ad condonandam obligationem restitutionis ob horas Canonicas neglectas, ad commutandum onus recitationis earum, eligendum Confessarium, etiam pro reservatis; transeundum ad alium Ordinem (pro utroque foro) etiam post apostasiam a suo.

97. R. 2. In formulis frequentioribus ipsius brevis Apostolici verba, quæ substantialia continent, & difficultatem habent, sunt hujusmodi: *Si est ita: vel quatenus si ita est*; quorum sensus est, ut si preces veritate nitantur, præsertim tempore datarum litterarum Apostolicarum. Requiritur autem veritas rei narratæ principaliter quoad essentialia facti, v. g. affinitatem esse contractam, incestum commissum, & actum esse de matrimonio (intellige perfecte, ita ut in id utrimque consenserint) & periculum revelationis, ac scandalum imminere. Secundario autem requiritur quoad accidentalia, v. g. bona fide actum esse, & similia, quæ tantum sunt impellentia, & sine quibus nihilominus tales dispensationes concedi solent. Unde etsi in his, vel aliis parvi momenti erratum sit in petitione, gratia tamen est valida. V. Bullam Ben. XIV.

2. *Si periculum immineat revelationis.* Ut enim subsistat dispensatio, requiritur, ut sit periculum, ne reveletur impedimentum, si matrimonium non sequatur. Intellige, quando in formula exprimitur. Periculum autem hoc non importat necessariam detectionem, sed moralem, & probabilem credulitatem, futurum, ut si resiliatur a matrimonio contrahendo, & hujus causæ assignari non possint, ex vehementi suspitione, & inquisitione detegatur.

3. *Et scandalum:* quo nomine intelligitur gravis infamia, ex qua deinde oriri possint contentiones, minæ, pugnæ, cet.

4. *Ut dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata,* cet. Quæ clausula substantia-

lis est, ut nimirum si dispensandum sit in impedimento dirimente, cum quo matrimonium contractum est in facie Ecclesiæ, conjux ignorans illud impedimentum certior fiat de nullitate prioris consensus.

Sufficit autem, ut consensum istum præsent inter se secreto, nemine præsentem per verba, vel signa sufficientia. . . *Quo pacto id fieri possit, cum impedimentum alteri conjugum est ignotum, dicemus in Tract. de Matrimonio.*

5. *Postquam dicto Sacerdoti, si nondum satisfecerit.* Verba hæc solent esse in facultate absolventi ab Excommunicatione, v. g. ob percussionem Clerici, & important conditionem satisfaciendi parti læsæ, prius quam possit absolvi; hoc est, compensandi injurias, expensas, & omnia damna, quæ ob percussionem illam incurrit, quorum æstimatio committitur executori dispensationis; neque ab hac obligatione liberatur percussor per hoc, quod percussus injuriam remiserit. Si autem non possit in præsentem satisfacere, sufficit, si juratus promittat, se satisfacturum, cum primum poterit.

98. Circa praxim, sive executionem hujus dispensationis, hæc facienda. 1. Litteræ S. Pœnitentiariæ diriguntur ad Oratorem, h. e. ad ipsum, qui dispensationem per se, vel per alium petit; qui non debet eas resignare, sed eligere Confessarium talem, quali inscribuntur, qui eas sibi ab Oratore traditas resignet legat, & deinde cum eo secundum commissionem dispenset. Licet vero quocumque casu ab alio aperiantur, non ideo carent effectu.

2. In Confessario hæc requiruntur. 1. ut sit approbatus, ab ordinario territorii, in quo dispensaturus est 2. ut sit Magister, sive Doctor in Theologia, vel jure Canonico, promotus in Academia, vel Religiosus habens privilegium. 3. ut specialiter ad hoc sit electus ab Oratore, hoc est, ab eo, cum quo dispensandum est; qui tamen semel electum, nisi deprehendat ignorantem, mutare non potest. Contrarium tamen docent Sanchez, & Perez.

99. Confessarius ad id electus debet dispensare in ipsa Confessione, vel saltem immediate post. 2. debet causæ cognitionem, quando ea in Brevis exigitur, essentialiter præmittere per diligens examen poenitentis, nisi habeat ante prospectam, quia non est merus Executor, sed iudex, cui delegatur potestas dispensandi. 3. in ea debet credere illi etiam sine testibus, & juramento, nisi aliunde sciat esse falsam; tunc enim dispensare non debet. 4. opera in ipso Brevis præscripta, etsi possit moderari, non tamen condonare potest. 5. etsi non præscribantur certa verba ad dispensandum, debet tamen servare formam a Rituali R. probatam, & post verba illa: *absolve Te a peccatis*, addere: *& eadem auctoritate declaro, te in dicto matrimonio manere, & debitum conjugale reddere posse & debere: necnon dispenseo tecum, ut idem debitum etiam exigere licite valeas: In nomine Patris, &c.* Si vero est absolvendus ab Excommunicatione, vide formulam infra de Censuris. Absoluta dispensatione, debet lacerare litteras, præcipue sigillum, ita ut ad probandum servire non pos-

sint, alias incurrit. Excommunicationem majorem. Laceratio tamen ista non est de substantia, quia tatum intenditur, ut non suffragentur in foro externo. 6. Nullo modo debet attestationem dispensationis factæ, neque ipsum Brevis, seu diploma reddere, cum pro solo foro conscientie debeat servire. 7. Nihil debet accipere, ne via quidem compensationis pro dispensatione, etiam pro foro externo facta; ideo enim inscribitur: *gratis ubique*; alias incurrit ipso facto excommunicationem majorem. *Gavant. Diana ex declar. Cardinalium.*

APPENDIX II.

De Privilegiis.

1. *Quæst. 1.* Quid est privilegium, & quotuplex? R. est *lex privata, aliquod speciale concedens beneficium.* Hinc differt a dispensatione, quæ est exemptio legis, adeoque semper est odiosa: differt a licentia, quæ solum est ad paucas actiones. Aliud dicitur *reale* ratione rei, muneris, status; aliud *personale*, concessum intuitu personæ, &c. cum illa extinguitur, ex reg. 6. jur. in 6.

2. *Quæst. 2.* Quænam sunt generales regulæ circa privilegia? Istæ sunt præcipuæ. 1. per legem juris communis, non derogatur privilegio, nisi in ea expresse dicatur: *non obstante quocumque privilegio.* Imo nec ita derogatur privilegio, si in illo habeatur: *ex certa scientia*, vel, *ex plenitudine potestatis.* Quando privilegium est con-

tra consuetudinem aliquam, vel legem municipalem, illis non derogatur per privilegium, nisi de ipsis specialis mentio fiat. 2. regula: *privilegiatus* per se loquendo non tenetur uti privilegio ex reg. 61. id intellige, nisi ex non usu grave damnum aut sibi, aut aliis immineret. Hinc Confessarius, habens facultatem absolvendi a reservatis, post confessionem rite auditam, tenetur uti facultate.

3. Regula: privilegium, in universum loquendo, est large interpretandum ex c. *olim* 6. de *Verb. significatione*. Excipe odiosa privilegia, quæ gravant alios, quamquam hæc etiam sunt amplæ intpretationis, si cedant in favorem causæ piæ, vel publicæ, aut Communitatis Religiosæ. 4. In generali concessione specialissima non comprehenduntur, nisi sufficienter exprimentur. Reg. 5. auctentica interpretatio privilegii pertinet solum ad eos, qui conferre possunt privilegia nempe Principes, vel ad eos, quibus a Principe commissum fuerit. Quod non prohibet, ut possint viri docti privilegia doctrinæ gratia interpretari, sicut de legum interpretatione diximus.

4. 5. Regulares non possunt uti privilegiis, revocatis a Tridentino. Contraria propositio damnata est ab Alex. VII. 6. Cum in privilegiis habetur clausula: *quatenus Sacris Canonibus non adversetur*, intelligitur de iis tantum Canonibus, quibus exprimitur: *non obstante quocumque privilegio* Clausula: *supplentes singulos defectus* intelligitur de defectibus rerum, quæ *ex jure positivo* requiruntur, non vero de defectibus

naturalibus, aut substantialibus, puta si Orator esset excommunicatus, aut petitio esset obreptitia, vel subreptitia, cet. Clausula *ad instar* significat, valere privilegium quando aliud, ad cuius formam istud est concessum, fuerit validum, saltem ab initio, licet postea fuerit revocatum, vel non acceptatum.

5. *Quæst.* 3. Quot modis desinere potest privilegium? Cessat 1. cum elapsum est tempus, ad quod privilegium fuit concessum. 2. cessante causa finali ipsius, præsertim si datum sit sub illius conditione. Nam si absolute concessum sit, est opinio multorum valde probabilis, privilegium valere, etiamsi finalis causa non subsistat. 3. ob renuntiationem privilegiati, quæ ut sit legitima fieri oportet in manu ejus, qui concessit, eoque renuntiationem acceptante. Imo privata personæ nequeunt renuntiare privilegia Communitatis. 4. per non usum tempore necessario ad præscribendum; quamquam privilegia gratiosa, quæ non sunt aliis onerosa, præscriptionem non admittunt. 5. per abusum, accedente sententia judicis; quia ut legitur c. 24. de priv. 2. *privilegium meretur amittere, qui præmissa sibi abutitur potestate*. Denique per revocationem Principis, sive tacitam, sive expressam.

6. Revocatio tacita fit a Principe, cum iste promulgat legem quæ suum effectum habere nequit, nisi revocentur privilegia. *Expressa*, cum de illis mentio fit, saltem per terminos generales: *non obstantibus quibuscumque privilegiis*. Porro privilegia concessa in remuneratione

nem aut cum aliquo pacto justitiæ, aut onere nequeunt revocari nisi ex gravi causa, ad bonum commune pertinente, & cum debita ablati boni compensatione.

Nota, privilegium non cessare morte concedentis; nam *deceat, concessum a Principe beneficium esse mansurum, ex reg. 16. in 6.* Plura alia de privilegiis in particulari videre poteris apud Auctorem.

APPENDIX III.

De prohibitionem librorum.

1. *Quæst. 1.* An in Ecclesia sit potestas ad proscribendos libros noxiæ doctrinæ? R. id extra dubium esse apud DD. omnes Catholicos. Equidem si hæc facultas penes Ecclesiam non esset, nec fides illæsa servari posset, nec Christus Ecclesiæ suæ satis providisset. *Frustra Ecclesia, ait Baronius, laboraret in hæresibus extirpandis, bonique moribus fovendis, nisi unde scatur errorum, ac vitiorum colluvies, fons penitus obstrueretur.* Hinc merito docent AA., iudicium Ecclesiæ circa librorum censuram esse infallibile: *Ecclesiæ enim, ait Nat. Alex. Hist. Eccl. T. 2. dissert. 5. ad sæc. 6. cum sanam doctrinam ab hæretica discernere pro suo iudicio datum sit a Christo & cum quælibet doctrina libris aliquibus contineatur operæ pretium erat, ut Ecclesia in iudicio, quod tulerit de libris in quibus de fidei, & moralis Christianæ quæstionibus agitur, non posset deficere.*

2. Jam vero consuetudinem abolendi libros fidei aut moribus noxios, ex traditione Apostolica derivari, facile demonstratur. Constat enim ex actis Apostolorum 19. v. 19. *multi autem ex eis, qui fuerint curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus.* Atque hoc in more positum esse apud Fideles, testatur Origenes hom. 9. super Num. Testantur id ipsum PP. Ephremus, Tertullianus & Cyprianus. Eodem modo loquuntur Alex. Alexandrinus, qui vixit tempore Conc. Nicæni, Arnobius, Socrates, Nazianzenus, & Augustinus, ex quorum testimoniis evincitur, a tempore Apostolorum ad nostra usque tempora hanc viguisse in Ecclesia constantem traditionem.

3. *Quæst. 2.* Ad quos pertinet iurisdictio, & potestas circa librorum prohibitionem? R. id jure suo ad Pastores Ecclesiæ pertinere; *hos enim Christus posuit regere Ecclesiam Dei;* illis contulit munus pascendi gregem suum; nemo autem Pastoris munere recte fungi potest, nisi oves a pascuis perniciosis avertat. Hinc PP. Concilii Nicæni damnarunt Arii libros, eosque comburendos esse decreverunt. In Conc. Ephesino damnata sunt scripta Nestorii, & in Chalcedonensi scripta Eutychetis. Romani autem Pontifices, ut supremi Ecclesiæ Pastores, in eam curam maxime invigilarunt. S. Leo M. libros Manichæorum Romæ combussit, idemque postea fecerunt Symmachus, & Hormisdas, Nicolaus I. Nicolaus II. Leo Decimus, alique Pontifices hæreticorum libros auctoritate Pastoralis compresserunt.

4. Postquam vero cœpit ars typographica, adeo noxiorum librorum moles excrevit, ut novo in Ecclesia remedio opus fuerit. Itaque Leo X. in Conc. Lat. decrevit, ne deinceps imprimerentur libri, nisi probantibus Episcopis, aut Fidei Quæsitibus, idque sub pœna excommunicationis, aliisque arbitrio Ordinarii infligendis. Deinde sub Paulo IV. confectus est index, seu catalogus librorum prohibitorum, quem sub Pio IV. Trident. Concilium confirmavit. Denique præter Congregationem Supremæ Inquisitionis, aliam quoque Congregationem Cardinalium, quæ Indicis appellatur, instituit S. Pius V. quam novis privilegiis alii postea Pontifices roborarunt. Legi potest Bulla, seu Const. Ben. XIV. quæ methodum præscribit, servandam in examine, & proscriptione librorum. Hæc autem satis sunt dicta, ut unusquisque intelligat, quanta semper fuerit Ecclesiæ cura ad perniciosam doctrinam omnino extirpandam & profligendam.

5. *Quæst. 3.* An licita sit lectio librorum hæreticorum? R. jure naturæ prohibita est iis, quibus offendiculo est, aut periculo, adeoque peccant lethaliter, qui eos absque facultate legunt. Ratio evidens est, quia unusquisque tenetur animæ salutem providere, & cavere pericula perversionis tum in fide, tum in moribus. Hic nec cum licentia legere eos potest, si periculum ad sit gravis damni, ob eandem rationem; sed non incurrit excommunicationem, cui subjacent ii, qui libros hæreticos legunt sine Superiorum facultate.

6. *Quæst. 4.* An qui moraliter certus sit, nullum sibi periculum imminere, possit eos legere absque peccato? R. negat communis, veraque sententia TT. contra Caramuelem, & paucos alios, qui eam lectionem putant esse licitam, eo quod cessante periculo, cesset finis legis adæquatus. Sed quicquid sit de aliis legibus, ea ratio locum certe non habet in lege prohibente libros hæreticorum, quia nunquam cessat finis legis adæquatus neque in communi, nec in particulari. Finis enim librorum hujusmodi prohibendi non est tantum, ut caveatur damnum conscientiarum, quod ex eorum lectione oriri posset; sed etiam ut servetur debita obedientia Ecclesiæ præceptis, maxime in re adeo gravi, & periculosa. Insuper ne detur ansa hæreticis, impiisque Scriptoribus, dogmata perniciosissima typis evulgandi. Adde, in hac materia maximum esse periculum hallucinationis, ut quis putet, nihil sibi subesse periculi, ubi re vera est; hinc mens Ecclesiæ est, ut lex hæc absolute probata ob bonum commune omnes obliget quantumvis doctos.

7. *Quæst. 5.* Quænam requiritur, ut incurrant excommunicationem, qui scienter retinent legunt, imprimunt, vel defendunt libros hæreticorum? R. quatuor requiruntur conditiones. 1. ut auctor sit hæreticus, vel saltem ex instituto tractet de hæresi. Permittuntur tamen scripta Tertulliani, & Origenis propter eruditionem, & quia nullum jam ab illis periculum in fide timetur. Nec vero prohibentur libri Catholicorum, licet in illis hæreticorum errores ad verbum re-

ferantur. Libri vero Thalmud, & similes hæbraeorum prohibentur per bullas Pii IV. & Clem. VIII. 2. conditio est, ut aliquis ejusmodi libros *scienter* legat, hoc est, cum plena noticia, & advertentia: unde ab omni censura immunes sunt, qui ignorant, quamvis crassa ignorantia, libros esse hæretici, aut de Religione tractare; imò volunt plures a censura excusare etiam *affc tatam* ignorantiam; deest enim formalis dolus, qui censuræ contemptum inducit.

8. Tertia conditio est, ut id quod legitur, materia sit notabilis; ut enim in rebus aliis, ita in hac parvitas materiæ eximit a mortali. Sed quamam materia censëatur magna, & sufficiens ad grave peccatum, non convenit inter DD. Alii integram paginam putant esse materiam parvam; sed hi merito rejiciuntur, generatim loquendo, cum in ea ut plurimum contineatur lectio sufficiens ad perversionem. Alii nonnisi tres, aut quator lineas concedunt parvitati materiæ. Ita Reginaldus, & alii, sed hoc videtur parum, ut dicatur pars notabilis libri. Alii cum Suarez usque ad versus decem permitti posse contendunt sine gravi peccato. Sed melius alii distinguunt, ac dicunt, attendendum esse finem prohibitionis. Itaque si librum aperiendo, intra paucas lineas offendas in errorem apertum contra fidem, continuare lectionem nullo modo poteris, quin statim censuræ subjeceas. Secus vero si liber hæretici de re agat indifferenti, neque intra paginam errorem advertas, poteris forte totam legere paginam absque mortali.

9. 4. Conditio est, ut liber aut de Re-

ligione tractet, aut hæresim contineat, puta de Scriptura S., de Theologia, Jure Canonico, ritibus, cet. Hinc certum est. 1. non esse prohibitos hæreticorum libros, qui tractant de Medicina, Philosophia, & humanioribus litteris, modo hæresim non contineant. 2. prohibitos esse hæreticorum libros, de Religione tractantes, etiamsi hæresi non sint infecti. 3. sufficere, ut hæretici liber unum tantum errorem doceat contra fidem, etiamsi non tractet de Religione. Quid si error hic a libro sit abrasus? Prohibitum adhuc esse, censent Suarez, Layman, Sanch. & alii. Contra vero Pignatellus, La-Croix, & alii eum in censura non comprehendi putant, cum jam non possit esse aliis offendiculo. Quod quidem probabile videtur cum Sporerio, quandocumque liber de Religione non tractet.

10. *Quæst. 6.* An incurrant excommunicationem, qui legat hæretici concionem, aut epistolam seorsim editam? Affirmant Suarez, Farinacius, & alii, quia sæpe breves illæ scripturæ æquale, aut majus periculum secum afferunt, quam grandia volumina. Negant tamen Layman, Salmant. Castropalao cum aliis, eo quod brevia hujusmodi scripta non possint dici libri, & in hac re stricta sit interpretatio faciendâ, cum agatur de re odiosa, qualis est certe Excommunicatio. Idem sentiunt DD. multi de manu scriptis, quæ non comprehenduntur sub nomine librorum, pro qua opinione Sylvius affert declarationem quandam S. Cong. Contradicunt tamen Suarez, Sánchez, quos sequitur La-Croix, affirmans, librorum nomine intelligi

etiam M. S. sicut olim ipsa ante inventam typographiam libri vocabantur. Imo, & nunc libros vocamus M. S. ubi matrimonia, & baptis-
mata notantur. De præfata vero declaratione non satis constare, dicunt. Quæ rationes licet non omnino convincant, censeo, hanc sententiam in praxi consulenda.

11. *Quæst. 7.* An Censuræ subjaceant, qui etsi non legant, legentes tamen audiunt libros hæreticorum? Affirmant Layman, Azor, aliique multi, quia hi moraliter legere censentur per aliorum ministerium; *quod enim quis facit per alium, est perinde ac si faciat per se ipsum*, ex reg. 72. juris in 6. Negant tamen communius, & probabilius DD., modo non induxerint alium ad legendum, quia isti proprie, & stricte non legunt, & in his odiosis prohibitionibus spectanda est proprietas verborum. Atque ob hanc rationem ab omni censura multi excusant eum, qui alium habentem legendi licentiam, ad legendum sibi inducat; imo & a gravi peccato, modo nullum inde sibi damnum imminet.

12. Nota 1. eandem censuram incurrere, retinentes libros hæreticorum. Itaque qui eos habent, debent tradere vel Episcopis, vel Inquisitoribus, nec a censura liberantur, qui eos comburunt, ut contendunt Suarez, Barbosa, & alii; quamvis eos merito excusent Filliucius, Salmant. & Bonacina, eo quod is, qui librum destruit, dici non possit eum retinere. De cetero a peccato, & censura liberari nequit, qui librum alteri tradit, ut eum sibi reservet, cum hic dominium libri retineat, ac possit repetere.

Aliud tamen esset, si librum traderet servandum in loco separato, qualis solet esse in Monasteriis, quæ facultatem habent ad libros prohibitos caute retinendos. Habenda est autem præ oculis damnata ab Alex. VII. propositio, *asserens: libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri.* Denique notandum est, censuram non incurrere eum, qui ad breve tempus librum retineret, v. g. uno, vel altero die; quia sicut in legendis, ita in retinendis libris assignanda est parvitas materiæ: nec vero ille, qui librum tradat habenti facultatem legendi libros prohibitos, etiamsi donaret sub eo pacto, ut sibi restitueret, postquam ille facultatem obtinisset. Consule dissertationem auctoris nostri ad calcem libri primi Tract. II. de legibus.

